

QR. 256, 12.

Z c
4705

48.

B. SCHROETERI,

COM. PALAT. CÆS. CONSILIAR.
RUTHENI,

DIPLOMA,
LAURUS,

MICH. CHR. LUDOVICI
SCH. ALTENB. CONR.
ULTRO OBLAT.
NUNCIUM.

RECUSUM
ALTENB. JO. BERNH. BAUERFINCCIL.

X 2055143



In nomine Sacro-Sanctæ & individuæ
Trinitatis.

BENEDICTUS Schröter /
U. J. D. SACR. PALAT. LATERANENS. COM.
EXEMPT. P. T. A CONSILIIS RUTHENO-
PLAVIENS: GERÆ AD ELY-
STRUM.



T omnium rerum vicissitudo quæ-
dam est, quæ modo in altum tol-
luntur, adsurgunt, ac penduntur
maximi, modo verò deprimuntur,
abjiciuntur, & sordent interdum:
ita idem omninò fatum Poësin
quoque, artem antiquissimam non
minus, quàm nobilissimam, vide-
tur mansisse. Nam quotusquis-
que inter eruditiores est, quem lateat, ad quod honoris
fastigium evecta ea olim fuerit? quò loco habiti Poëtæ
à principibus viris? Audiamus ex omni antiquorum nu-
mero Nasonem, vatem ingeniosissimum, copiosissimum,
ac principem Elegiacorum omnium, si Dempstero fidem
habemus. Sic v. ille:

CURA DUCUM FUERANT OLIM REGUM
POETÆ:

PRÆMIAQUE ANTIQVI MAGNA TULÈ-
RE CHORI.

SANCTAQUE MAJESTAS, & ERAT VENERA-
BILE NOMEN

VATIBUS, & LARGÆ SÆPE DABAN-
TUR OPES.

Alphon-

Alphonfus quoque, Rex passim celebratissimus, cum Parthenopem iter faceret, venissetque ad eum locum, unde Sulmo, Ovidii patria, videri poterat, urbe illâ salutata, *Ego, inquit, huic regioni, quæ non parva regni mei Neapolitani pars, lubens cedam, ut Poëtam hunc habeam, quem licet mortuum, pluris faciam, quàm Aprutii dominatum,* Verba sunt Spigel. in libr. i. Panorm. de gest. Alphonf. c. 47. Et Carolus IX. Franc. Rex, fovere eos solitus fuit, qui in Poësi excellerent, eisquæ præmia largiri; minùs ampla tamen, ut semper, nova meditantés, redirent. Atq; sexcenta ejusmodi cumulare liceat, si sit opus. Nobilissimus quoque hoc nostro seculo Orator, **AUGUSTUS BUCHNERUS**, quum in programmate quodâ publico Grammaticam, Rhetoricam, & Poëticam, disciplinas utilissimas, & quæ docent cogitationes animi ad usum multiplicem proferre, conferret; non dubitat locum principem adsignare **POETICÆ**, quum ait: *Quæ disciplina omnes cum circa differendi rationem occupatæ sint, POETICA tamen OMNIUM NOBILISSIMA est: quippe quæ reliquas duas includit, usque, velut instrumento quodam, utitur.* Et alio in programmate docet, quondam omnes certatim venustioris indolis homines, quiq; docti haberi cuperent, **POETICIS** literis navasse operam; seu ductu Naturæ, & quodam veluti peculiari Genio in studiorum id genus impellerentur: seu invitaret eò ingenium seculi: quum parum elegans haberetur, qui Phœbo & Musis numquam instituisset licare. Addit etiam, fuisse, qui eloquentiæ causâ, & quod pararent se foro, nonnullam **POETICÆ** darent operam. Neque enim negari posse, omnia ea, quæ ad varietatem, cultum, splendorem, lætitiâque ac suavitatem orationis faciunt, multò faciliùs

)(2

ab

ab uno aliquo POETARUM, quàm à pluribus Rhetoribus, condisci posse.

Sed hac felicitate perfrui usque non licuit arti nobilissimæ. Subsequentis enim seculis alia rerum facies prodit, & nihil ferè magis hominibus sordet, quàm POETICA, & ejus studium. Quod, cum in Solis radiis perscriptum videatur, quid opus sit probare prolixius? Immo adeò hac nostra tempestate sprete POETÆ jacent, ut probro ferè sit, Poëtam dici aut salutari.

Quæ hujus fati causa sit, differere operosius per chartæ istius angustiam non licet. Potiores videntur in abusu disciplinæ positæ esse. Quoniam enim, ut POETA Venuſinus ait:

SCRIBIMUS INDOCTI DOCTIq; POEMATA
PASSIM;

factum est, ut viri principes, aliiqve sicubi fors in indocti & insulsi alicujus poemata inciderint, nec quidquam observarint politiori dignum ingenio, de aliis omnibus idem judicarint. Quam suspicionem non parum auxerunt liberalitate suâ, qui indignis quoque coronas indulserunt, depexi jam olim ac defricati probè à Petronio, ubi non nemo de se ipse ita: *Ego POETA sum, & ut spero, non humilimi Spiritus, SI MODO CORONIS aliquid credendum est, quas etiam ad IMPERITOS deferre gratia solet.* Accessit, quod Poëtarum plurimi lasciva & obscœna, quasi absque his quisqviliis nitere Poëma nesciat, carminibus miscuerint, à quibus meritò mentes ingenuæ abhorrent ac fugiunt. Et eò Plutarchus, communi omnium suffragio auctor gravissimus, respexit, *quidam, inquit, Amethystum adhibent in comotationibus adversus ebrietatem: Sed multò magis in audiendis Poëtis præcepta sunt adhibenda*

benda, ne quid inficiat animum. Et Ægyptii Sacerdotes, Poësin aliarum gentium significaturi, Polypi caput effringebant, quod quidem esculentis appositum suavissimæ saporis, ganæque jucundissimum esse perhibetur, cæterum horrenda prodigiolaque somnia parere deprehensum est. Sunt tandem, qui negligunt POETICES artem, quod rem familiarem parum auget. Tangit hoc ulcus BUCHNERUS his verbis: Postquam pulcherrima illa studendi veterum ratio perit, postquam non tam pulchritudine sua, quam utilitate aestumari cæpta sunt litteræ, & honestissimæ artium creditæ, quæ compendiarium ad opes profiterentur; plerique posthabuerunt aliis, etiam VILIOBIBUS curis, POETICÆ studia, adeò, ut INDIGNA statuerent, quibus paucissimas horas imputarent. Ac tandem hunc in modum concludit: Idcirco fovendi maxumè sunt, si inveniantur quandoque, qui contra nitentes seculi vitis, & novem illas virgines amare sustineant. &c.

Sed nobis jam propositum non est, ex professo convellere, quæ OESIOS olores urgent. Sunt enim per se stitilissima; & si, qui ob abusum artis optumæ negligendam eam arbitantur, similimi mihi videntur Lycurgi, qui, quod multi inorientur vino, incidendas & extirpandas radicibus vites iudicavit. Nec est necesse, lascivos Poëtas perlustrare & imitari. Sunt enim, in quibus nihil, quod castas aureis offeudat, reperire est. Et parum abest, quin Oratorem Eusebium apud Macrobiū unius Virgillii, Poëtæ Virgine, lectione magis, quam Ciceronis proficere statuatur, miratus divinitatem ingenii, quo omnes eloquentiæ numeros unus implevit.

Quantumumque autem debacchentur in POETAS malè sani nonnulli, inventi tamen semper fuerunt, qui meli-

us & rectius de iis statuerunt. Posset hic laudari Libani-
us, S. Chrysofomi, in eloquentiæ studiis, Præceptor, in
cujus, Juliano Imperatori charissimi, orationibus, iudice
Evnasio, eruditionem magnam & multiplicem lectio-
nem invenias, ac dictiones, quæ mera svavia spirant.
Sic enim ille: *MISERABILES sunt accusatores Poëta-
rum, si quidem dementibus & insanis tribuenda est misericordia.*
*Nam quis non videt, planè extra seraptos esse, qui Poëtas re-
prehendunt?* Cætera non addo. Laudari posset Plinius
Junior, qui, maximi Oratores, ait, *POETICEN & in ob-
lectationibus habuere, & in laude posuere.* At sufficiat Syne-
sius, qui ab anno Chr. CCCCX. floruit, Episcopus Pto-
lemaidis, *VIR ADMIRANDÆ SANCTITATIS &
DOCTRINÆ*, celeberrimus quoque Philosophus. Hic
ob Musarum reverentiam, ait, *etiam harum Sacerdotes omni
humanitate prosequi, æquum est; NEC INFERIORES
iis haberi, qui aulas principum adulari didicerunt &c.*
Et quis ignorat, hodieque Augustissimos IMPERATO-
RES amari & honorari velle *POETICAM*, ac cultores
ejus? Hunc enim in finem *COMITIBUS PALATINIS*
eam quoque potestatem indulgent, ut, quos egregios in
POESI progressus fecisse intellexerunt, es coronam lau-
ream, & insignia prorsus privilegia nonnulla impertian-
tur: quibus, velut stimulis quibusdam, bonæ mentes ad
amorem artis nobilissimæ excitentur.

Quoniam itaque & *NOBIS* ab Imperatore bono-
rum optimo ac gloriosissimo, *FERDINANDO TER-
TIO*, beatissime ac Sempiternæ memoriæ, ejuscemodi
potestas concessa fuit, & passim, cum ex officio publico,
tum ex scriptis ac monumentis publici, *VIRI PER-EXI-
MII* atque *DOCTISSIMI*, DN. M. MICHAELIS
CHRI-

CHRISTIANI Ludewigs / *Gymnasia Altenburgensis Con-*
Rectoris solertissimi; constat, eum pridem dignum esse, cui
corona Laurea cum aliis privilegiis, Cæsareorum seu
Laureatorum Poëtarum conferatur; motu proprio, ac a-
nimo & consilio benè deliberato, Viri famâ impulsus, in
nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis, eum Cæsa-
reâ, qua fungimur, authoritate & nomine POETAM
LAUREATUM præsentibus his litteris creamus, &
LAUREA POETICA coronatum esse volumus, quem-
admodum tenore præsentium supra nominatum Dn. M.
MICHAELEM CHRISTIANUM Ludwigen / POE-
TAM LAUREATUM creamus, & pronunciamus; pro
talique ab omnibus salutandum, nominandum & hono-
randum volumus, ita, ac si ab Imperatore ipso coronatus
fuiſſet, eiſque potestatem tribuimus, in toto Romano Im-
perio, hereditariisſque Sereniſſimæ domus Austriacæ pro-
vinciis, in arte & scientiâ Poëſeos legendi, docendi, ſcri-
bendi, interpretandi, cœterosſque actûs Poëticos omnes
ac ſingulos exercendi. Itemſque gaudeat, utatur & po-
tiatur omnibus & ſingulis ornamentis, libertatibus, ho-
noribus, titulis, conſeſſionibus, gratiis, indultis & favo-
ribus, quibus cæteri à D. Imperatore ipſo LAUREA
POETICA donati, vel etiam in Academia *Parisiensi, Bo-*
nonienſi, Paduanâ, Peruſina, Lovaniienſi, Vienneniſi, Ingolſta-
dienſi, Pragenſi, Lipſienſi, Tubingenſi, Rostochienſi, Witebergen-
ſi, Herbipolenſi, Marpurgenſi, Argentorateniſi aliave pu-
blica Univerſitate promoti & coronati, ubivis locorum
& terrarum gaudent & potiuntur, tam de jure, quàm con-
ſuetudine, vel gaudere, potiri, uti & frui jam poſſunt, aut
poſſent, quomodo libet in futurum, juxta litteram no-
ſtri

Stri Imperialis Diplomatis. Ad quorum plenam fidem
& testimonium, has nostras patentes litteras ac privilegi-
um publicum, manu nostra subscriptum, nostri, quo in
similibus utimur, sigilli appensione muniri volumus.
Dabantur Geræ ad Elystrum, ipso d. Calend. Januar. An-
no partus virginis Millesimo sexcentesimo sexa-
gesimo sexto.

Zc 4705 OK



LOTAK
M...



QR. 256, 12

B. S.
COM. PA

DIE
L
MICH. C
SCH.

ALTENB.



X 2055A43



© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

